

præditus, ut membris paralyticis (juncturis quotidie bis inunctis) applicatus, omnem contracturam perfectè sanet, quod certè summum est arcanum, ipsâ etiam signaturâ præbente argumentum. Quare etiam ab arthritide confessos articulos eundem liquorem restaurare & corroborare necesse est. Experimentum diutis faciet fidem.

*Sandaracea  
efficacia.*

De *Sandaracea* Virtutibus multa passim apud Autores occurunt, in primis verò *Gummi* hoc discutit & condensat utileque est in capitib, dentium, pectoris, uteri, nervorum & catarrhosis affectibus internè & externè adhibitum, quin & viribus succinum æquare & in hujus defectu illi substitui posse, si dupla videlicet illius quantitas recipiatur, autumat *Lonicerus* in herbario suo p.m. 91.

CAP. VI.

PRÆPARATA EX LIGNO JUNIPERINO RECENSET, EAQUE, EX CORTICE ET FUNGO JUNIPERI QUÆ PARANTUR, ADJUNGIT.

*Prepara-* *C*um *Janiperi* usus tam nobilis & multivarius sit, ideoque ex illa ejusque *Juniperi*. partibus & multa variaque præparantur medi-

medicamenta & aliorum ingrediuntur compositiones seu formulas, de quibus nunc agendum. Sed cum omnia præparata *Juniperina* uno hoc complecti capite nimis prolixum foret, satius esse putavimus hoc saltem includere capite ea preparata ex ligno, corrisse & fungo Juniperino quæ conficiuntur, de reliquis in sequente capite tractatur.

Ex *ligno Juniperino* octo diversa Præparatorum oriuntur genera, ut  
 1. RASURA, 2. DECOCTUM, 3. INFUSUM,  
 4. SPIRITUS, 5. OLEUM, 6. EXTRACTUM,  
 7. MELLAGO, 8. SAL.

Arte Mechanicâ quoque ex hoc ligno parantur *pyxides odorisferæ*, quibus poma ambræ includi possunt, ut & *pocula* singularis usus in diversis affectibus. De singulis nunc dicendm.

RASURA ex ligno quomodo pare- *Rasura*  
 tur & lippis notum & tonsoribus, ideo de *ingreditur*  
 modo parandi nihil monendum. Usum  
 hujus *rasurae* varius est, variasque ingre-  
 ditur medicamentorum formulas. In-  
 primis verò *suffimigis* ad aërem purifi-  
 candum & alterandum crebrò adhibe-  
 tur. Paradigmatis locò exhibemus  
 species sequentes suffimigiis domesticis  
 idoneas, quas in catarrhis & tempore  
 pestilenti adhibendas svadet *Conrad.*  
*Kunrath. Tractat. 20. Medull. aestill. p. 425.*

D 3

Rx Snc.

**Suffitus.**

**Ez.** Succin. citr. ʒijv. Gumm. Junip. ʒiſ.  
Mastich. Storac. calam.  
Thur. āā ʒj. & ʒij.  
Rasur. lign. juniper. ʒiij. Santal. citr. ʒj.  
Bacc. Juniper. ʒij. Fl. rosar. rubr. ʒiij.  
Crassiusculè contus. & concis. Misc. pro  
Spec. ad Suffit. S. Ranch. Pulver.

Ad suffitus pertinent quoque Candelæ pro fumo, quarum formulas tam lignum, quam baccæ & Gummis Juniperi ingrediuntur, quarum variæ dantur descriptiones in dispensatoriis, ex quibus præ reliquis arridet sequens. terno ut pote juniperi partium usu nobilitata, descriptio, in aëris impuritate corrigenda singularis efficaciæ.

**Candelæ  
profumo.**

**Ez.** Lign.juniperin. Caprefl. Aloës āā ʒiij.  
Gumm. Juniper. ʒij. Thur. Mastich.  
Succin āā ʒiſ. Storac. calam. Benz. āā ʒvj.  
Ladan. ʒj Bacc. juniper. flor. anth. āā ʒv  
Carbon. tilia ▽. lavend. irrorat. ʒiv.

Subtilissimè pulverisata Misc. & cum Mucilagin. Tragacanth. ▽. rosar. fact. qf. F. l. a. Candelæ pro suffitu.

**Cucuphas.** rini ſepiſſimè additur, quoniam singulares obtinet vires in cerebro nervosoque genere confortando. Formulæ eorum sunt notæ. In dolore capitis cum vertigine

tigine sequentia cum successu applicare non semel vidimus.

**EZ** Fol. majoran. rmt. verben. serpill. àā pi  
Flor. anthous. prim. ver. lili. conv. àā pi  
Rad. rhod. 3ij. Lign. Juniperin. 3ß.  
Storac. calamit. benz. àā 3ij.  
Camphor. 3j.

Crassè contus. & concis. Misc. D. in chart.

S. Species zum Häublein.

DECOCTA ex ligno Juniperino extant Decoctiones  
simplicia & composita, Simplex Decoctione lign. juniperi  
sum in dentium doloribus, capillorum perni-  
vitiis aliisque affectibus commendatur.  
Compositis Decoctionis variè admisce-  
tur.

Singulare Decoctionum Hydropicum  
describit B. D. D. Schenckius P. P. Jenen-  
sis mortissimus, Preceptor olim mem hono-  
ratissimus, in Syntagma prescrib. & com-  
ponend. medicament. cap. V. p. m. 124.

**EZ** Lign. Quajac. raspae. Juniper. àā 3ij.  
Rad. Sarsaparill. 3ij. Fol. Veronic. Mß.  
Passalar. minor. 3ß.

Infund. in ∇. fontan. 1biiij. stent per P  
& ♂. postea ebulliant ad consummatio-  
nem dimidiatus, Colaturæ 1biß. adde

TRæ Violar. c. Spir. ⊕ li parat 3ijß.

Effent. liquid. scord. 3ß.

Misc. S. Schwärzrance auf eklische mahl  
Dosis 3iv. pro unâ vice.

Residentiæ iterum affund. ▽. fontan.  
ſv. coqu. ad dimidietat. consumpt.  
Colatura detur propotu ordinario. Edul-  
coretur vino granator. ribium &c.

*Infusa ex  
ligno junii-  
perino.*

INFUSIS variè inservit *lignum Ju-*  
*niperinum* in primis vino vel cerevisiæ li-  
gni juniperini ramenta si infundantur, vi-  
res illis integras conservare & ab illis  
aciditatem & corruptionem arcere à  
multis dicitur & per experientiam ap-  
probatur.

*Vinis & Cerevisiis medicatis idem li-*  
*gnum* ſaþe admifetur, ſicut ex inferio-  
ribus patebit ideo infusis diutiis immo-  
rari nolumus.

*Spiritus  
ligni Ju-  
niperini.*

SPIRITUS ex ligno Juniperino elici-  
tur ſequenti modo:

*Et Lign. Janiperin. raffat. vel crassè  
concis. q. v. Retortæ vitreæ vel terreæ pro-  
bè lutatæ committe illiq[ue] receptacu-  
lum magnum & amplum adjunge,  
ignis gradibus rectè administratis primò  
extillat phlegma, quò apparente ignem  
aliquatenus auge & ſequentur Spiritus  
nebulosi magno cum impetu, ita, ut, si  
moderaminis ignis fines transgressus  
fueris, Vas recipiens à Spiritu disrup-  
tus. Cautè itaque procedendum: Præ-  
clarè enim monet Renatus des Cartes part.  
4. Princip. Philosoph. p. 182. quòd ignis gra-  
dus*

dus in omnibus sit observandus , eò enim variatò semper aliquò modò effus variatur. Ita multa corpora lento primùm igni, ac deinde gradatim fortiori ad mota siccantur & varias particulas exhalant, quales non emitterent, sed potius tota liqueferentur si ab initio validis ignis gradibus torquerentur.

Cum autem phlegma Spiritui sit admixtum, separatione eget, modus autem separationis in hoc consistit, ut spiritus cum phlegmate mixtus per alembicum iterum destilletur, tunc primò exstilla phlegma. Quod si guttae sapore spirituoso præditæ sequantur, tunc abstinentur est ab opere & Spiritus ad usum reservandus.

Spiritus hic indolem matris suæ gerit & in affectibus capitis partiumque nervosarum adhiberi potest.

OLEUM ex ligno Juniperino triplici modò præparatur.

I. Eodem modo paratur ac Spiritus, de quo tamen notandum, oleum postremò in distillatione Spiritus provenire, quoniam olea, teste Renato des Carres part. 4. Princeps Philos. omnium difficultè ex duris & siccis corporibus exhalant, idque non tam Δ vi, quam arte quadam perfici debet: Cum enim eorum particulæ tenues sint & ramosæ ma-

Oleum lia-  
gni Jun-  
iperini.

D 5 gna

magna vis eos frangeret atque discerperet, priusquam ex istorum corporum meatibus educi possent, sed iis affunditur aqua (sicuti hoc in secundo processu videri poterit) copiosa, cuius particulae læves & lubricæ, meatus istos pervadentes, paulatim illas integras eliciunt ac secum abripiunt, hactenus *Cartes*. Quando itaque in destillatione Spiritus guttae quædam liquoris crassi instar post Spiritum egressum apparent, tum ignis augendus est, ut fundus retortæ incandescat, quô factò oleum odoris fœtidū crassum pro voto exstillabit.

II. Aliò & quidem meliori modò oleum ex lignis quibusdam confici docet Schröderus in lib. 2. *Pharmacop. Med. Chym.* cap. 70. si nempe illud per vesicam destilletur, quod ita fieri potest:

**Lign.** Juniperin. minutissimè raspat. vel separati q. v.

affund. ∇. fontanæ s. q. maceretur per dies aliquot, deinde destilletur per vesicam, destillationem per aliquot dies urgendo & continuando, ut tandem oleum prodire cogatur.

Oleum hoc, ut & omnia alia tali modò præparata, volatiliora sunt & futiliora reliquis aliâ præparatione confectis.

III. Per

III. Per descensum quoque oleum  
hoc parari potest sequente εγχειρίδειον  
**Bz** Scob. lign. juniperin. minus. concis. q. v.  
Hac imple novam ollam vitreatam, illam impone alii vacuæ ollæ in terram  
defossæ, subductâ laminâ perforatâ, ut ligni particulis in superiori ollâ contentis  
aditus ad inferiorem ollam præcludatur,  
juncturis optimè clavis & lutatis, ita ut  
ne vestigium fumi penetrare videatur,  
ollam superiorem igne circumda illum-  
que continua, donec putaveris oleum  
omne esse exstillatum, sic ob calorem li-  
gnum in ollam inferiorem oleum fundet  
sat copiosum.

Hi sunt tres illi modi destillationis  
olei ex ligno juniperi, sequitur nunc se-  
paratio & rectificatio.

Oleum hoc cum Spiritu si permi-  
stum sit separatur vel per tritorium, vel  
per chartam bibulam, per gossypium  
enim propter crassitatem suam ægrè tran-  
sit. Modum separationis vide capite  
sequente.

Rectificatio olei instituitur vel ex  
cucurbita, vel ex vesicâ, si illud affusâ  
aquâ iterum destilletur. Interdum ta-  
men, præsertim si oleum sit crassius, re-  
tortam arenæ mixtum repetere cogitur.

Vires & usus ex inferioribus, in af-  
fectibus videlicet, quibus conductit, pa-  
tebunt

tebunt, in primis tamen commendatur à Tabernamontano lib. 3. part. 2. herbar. cap. 10. & Conrad Kunrath. tractat. 20. medull. Distill. ad Contracturam, Spasmum, Epilepsiam, Apoplexiā, Tormina ventris omnesque à causā frigidā excitatos affectus & D. Johann. Ernest. in libello de oleis Chemicè distillatis Praxi Chymiatr. D. Hartmanni annexo pag. 424.

*Extra-  
gum ex  
ligno Ju-  
niperi.*

EXTRACTUM & quidem gummosum ex cortice & ligno Juniperino singulari methodo ac viâ educit Quercetanus in Pharmacop. dogmatic. restans. cap. 26. p. 843. hoc modō.

BZ Ligni Juniperin. part. ij.  
Cortic. ejusd part. j.

Omnia in rasuram redacta indantur in plura alembica vel vasa vitrea, magna, capacia, colli oblongi, affundendo optimam aquam vitæ, vini, vel hydromelitis vinosi q. s. Clausis vasis, ne quid exspiret, fiat digestio in balneo vaporoso calidiori per XII. vel XV. dies, quo tanto temporis spatio menstruum melius rubescat & imprægnetur ligni tinturis. Omnem liquorem calentem adhuc cola, feces autem prælo fortissimè exprime, tunc egredietur liquor spissus, rubicundus & oleaginosus, quem cum priori conjunge. Omnibus simul

in

in alembicum vel cornutam cum suo recipiente inditis fiat destillatio , donec materia in fundo maneat consistentiā mellis , & bulliendo bullas emittat non secus ac mel ipsum. Tunc calentem materiam effunde in patinam terream vitreatam , aquam frigidam continentem , & statim coagulabitur alões aut gummi instar , quam manu exemptam absterges & servabis tanquam remedium pretiosissimum.

Extractum hoc exellens prædicat sudoriferum & bezoardicum adversus epilepsias, pestes, affectus contagiosos & venenatos *ciratus Autor.*

MELLAGINES medicamenta sunt, *Mellage  
ligni Juniperini.*  
inquit B. D. D. Schenckius Syntagmat. prescript. Clas. 4. Sct. 1. cap. 3. consistentiam & saporem mellis præ se ferentia , & hinc ipsis appellatio MELLAGO, ex *ligno juniperino* ita paratur:

**R**x Lign. juniperin. minutissimè raspat. q.v.  
Affund. ▽æ vel Vini totidem, ut 3. vel 4. digitos emineat. Macerentur in placido colore per ♀ & ♂ postea coquantur. Decoctum coletur cum validâ expressione , & Colatura ad Δ sensim evaporet, ut mellaginis tandem acquirat consistentiam , cavendo *εμπυρέωμα.*

SAL

*Sal ligni  
Juniperi-  
ni.*

SAL ultimum præparatum est ex li-  
gno Juniperi. Delitescit in hoc ligno tam  
ē volatile, quam fixum. ēis volati-  
lis præsentiam ostendit principium de-  
stillationis, ubi vestigia illius observari  
possunt. Fixum ē post destillationem  
Spirit⁹ & olei excape mortuo ad albe-  
dinem calcinatō præparari potest pereli-  
xivationem modō vulgari & consuetō,  
quo de in sequente capite fusiūs.

Ex ligno Juniperino additis aliis ve-  
getabilibus ē compositum cephalicum  
parare docet Illustris post fara quoque  
Roſencius, Praeceptor olim meus fidelissimus  
in lib. V. Chrys. Sect. 1. cap. 16. p. m. 297. 298.  
quod tale.

**E**x Herb. salu. majoran. pentaphyll. prim. ver.  
rue. tormentill. āā Mvi.

rosmarin. bort. Mij. sylvestr. Mxii.

Rad. pœon. ires flor. tormentill. caryophyllar.  
valerian. bort. vincetoxic. āā ſxi.

zedoar. sarcaparill. āā ſxii.

Flor. pœon. lil. convall. til. sambuc. āā Miij.  
origan. hyſop. cum cimis.

Sem. pœon. sinap. āā ſvi.

Bacc. laur. juniper. āā ſvi.

Lign. sanct. juniper. āā Ibj.  
quern. Ibj. corylin. Ibj

Igne apertō comburantur. Ex cine-  
ribus ē proli ciatur vulgari modō.

Vires

Vires Cephalicæ sunt, cerebri tutelam suscipiunt ejusdemque affectibus medentur: Dosis 3*fl.* in Specificis liquoribus exhibetur.

**P Y X I D E S O D O R I F E R A E & P o-** *Pyxides*  
**C U L A e x l i g n o J u n i p e r i** torno parantur, *odorifera*  
 quomodo autem fiant peritis in hâc re *ex ligno*  
 relinquimus. Usus harum pyxidum non *juniperorum*  
 contemnendus est, cum per se jucundō & *pocula*,  
 suō odore Spiritus vitales & animales  
 recreent & pauperioribus loco pomī  
 ambræ inserviant, multoqué magis per-  
 foratæ odorem pomorum ambræ extol-  
 lunt & adaugent.

Usus poculorum hominem à ve-  
 neno præservare dicitur & refert *Augu-*  
*stinus d. Bois in descriptione des Egerischen*  
*Slöde Sauerlings anno 1670. editā*, aci-  
 dulas Egranas à permultis ex vasis seu  
 poculis juniperinis ebibi ad nephriti-  
 dem, sicuti splenetici ex fraxino potare  
 solerent.

Ex cortice Juniperi præparatur *D*— *Preparata*  
*c o c t u m & i n f u s u m* ad mensum nimi- *ex Cortice*  
*u m f l u x u m*, *E x i r - E t u m* fit cum ligno. *& Fungo*

Ex fungis Juniperi *Aqua* paratur, *Juniperi*,  
 quæ fit, dum vitro inclusi *O*ris radiis ex-  
 ponuntur, tunc fungi in liquorem abe-  
 unt limpidum & clarum ad varios affe-  
 ctus haud inidoneum.